

rum, post eorum beatificationem, aut servorum Dei nondum beatificatorum, quando in causis eorum beatificationis sedes Apostolica jam manum apposuit, nec de civitate in civitatem, nec de ecclesia in ecclesiam, nec de capsam in capsam transferri possunt inconsulta sede Apostolica vel sacrorum rituum Cong. Sic expresse et fuse *Bened. XIV*, l. 4, 2^a part., cap. 22. Hæc reservatio locum non habet in translatione servorum Dei in quorum causis sedes Apostolica manum nondum apposuit, id est, commissionem pro beatificatione procedendi nondum emisit; solius ordinarii loci licentia sufficit, ut idem tenet Pontifex et alii cum illo. Concipimus corpora et insignes reliquias beatificatorum et servorum Dei, quando in causis eorum sedes Apostolica manum apposuit, non debere transferri absque dictæ Sedis aut S. Cong. consensu. At generalis est consuetudo, saltem in Gallia, ut quæcumque sanctorum reliquiæ cum approbatione episcopi, de capsam in capsam, de ecclesia in ecclesiam, de civitate in civitatem et de diocesi in diocesim transferantur.

6^o Triplicis generis distinguuntur reliquiæ sanctorum, scilicet insignes, notabiles et parvæ. S. R. Cong. declaravit pluries, et notanter 8 aprilis 1628 et 13 januarii 1631, apud *Gardellini*, n. 593 et 745, insignes reliquias sanctorum esse caput, brachium, crus, aut aliam partem corporis, in qua passus est martyr, modo sit integra, et non parva, ac legitime ab ordinariis approbata. Reliquiæ insignes eo ipso sunt notabiles; sed quædam reputantur notabiles, quæ non sunt insignes, ut digitus, costa, vel grandioris membri pars non modica, puta capitis, brachii, etc. Episcopi est judicare an reputari debeant notabiles. Parvæ reliquiæ sunt particulæ quæ in parvulis orbibus includuntur et a piis hominibus religiose a collo gestantur, in oratorio servantur, etc.

Pro solis reliquiis insignibus permitti potest officium: solæ insignes et notabiles solemniter, cum licentia episcopi, transferri queunt. Vide *Catalini*, in *Rituale Roman.* t. 2, p. 287.

7^o Reliquiæ sanctorum vendi, emi, pro re pretio æsti-

mabili commutari, aut per furtivam subtractionem auferri nequeunt, etiam devotionis causa, nisi apud infideles existant, quia sunt res sacræ et ideo pretio æstimari non possent absque sacrilegio. *Ita omnes.* Si Barenses corpus S. Nicolai, Cenomanenses corpus S. Scholasticæ per furtum abstulerint, aut peccaverunt, aut probabilius bona fide excusati fuerunt.

8^o *Bened. XIV* longe disserit, l. 4, 2^a part., cap. 27 et 28, de corporibus et reliquiis sanctorum Martyrum et cœmeteriis vel catacumbis quæ sunt Romæ vel prope Romam extractis, sine indicatione nominis proprii, et quibus nomen appellativum imponitur, quod vulgo dicitur baptizare sanctum. Notat 1^o multa in catacumbis et cœmeteriis Romanis sepulta fuisse martyrum corpora, quæ omnia nondum fuerunt effossa; 2^o hæc loca sacra accurate custodiri, et quibuslibet personis prohibitum esse sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, vel minimas reliquias ex illis extrahere aut extrahentibus auxilium præbere; 3^o sacras reliquias extrahi non posse, nisi adsit sacerdos a cardinali vicario urbis delegatus, qui diligenter inquirere et recognoscere debet signa quibus, juxta S. Congreg. indulg. decreta, certissime constabit eas ad martyrem pertinuisse, v. g., inscriptiones, supplicii instrumenta, symbolum significans *pro Christo*, palmas incisas, phialas seu vascula sanguinis in tumulis deposita, etc.; 4^o eas in capsis statim reponi, sigillari, nec venerationi exponi nisi prius cardinalis vicarius vel alii quibus hæc cura demandata est, easdem examinaverint, et a summo Pontifice vel a sacra Cong. indulg. et reliquiarum fuerint recognitæ et approbatæ; 5^o statutum esse ut conficiatur liber in quo describantur, tum corpora e cœmeteriis recenter extracta, tum nomina personarum et ecclesiarum quibus conceduntur; 6^o usum a primis sæculis invaluisse ut sanctis ignotis nomen sub quo designari possent imponeretur, ut patet exemplo athletæ qui S. Felici in ipso martyrio se adjunxit et vocatus est Adauctus, exemplo quatuor fratrum quorum nomina ignorabantur, et dicti sunt quatuor Coronati:

privilegium sanctum ignotum nunc nominandi, vulgo baptizandi, ad solum cardinalem vicarium pertinet; 7^o morem semper usitatum nomina sanctis ignotis assignandi esse laudabilem, quia experientia constat fideles ferventiori affectu ad reliquias sanctorum nomen habentium quam nomine carentium ferri vel inclinari; 8^o nomina imponenda debere esse appellativa et omnibus sanctis martyribus communia, ut sunt Felix, Fortunatus, Deodatus, Theophilus seu Dei amicus, Justus, Candidus, Fortis, Victor, Vincentius, etc.; non vero propria, v. g., Petri apostoli, Pauli, Laurentii martyris, Francisci Assisii, etc., quia tunc verum esset mendacium et populus deciperetur, dum in priori casu nulla est deceptio, modo a circumstantiis individuum designantibus abstrahatur.

9^o Reliquias etiam sanctorum canonizatorum authenticas unusquisque apud se habere aut secum deferre potest, cum reverentia debita et devotionis causa: eas igitur mediate vel immediate tangere non est prohibitum, nisi ubi publicæ venerationi fidelium exponuntur vel in processionibus deferuntur: tunc ad solos clericos, in sacris Ordinibus constitutos et sacris vestibus ac præsertim stola indutos eas tangere aut deferre pertinet.

10^o Ex decisione S. Cong. rit. diei 22 januarii 1701, quando reliquiæ exponuntur, præter lampadem, duo accendenda sunt luminaria, vel non exponantur. Non sunt incensandæ in missa, nisi cum incensantur oblata; eadem Cong. die 24 aprilis 1602. In altari pro ejus consecratione locandæ debent esse reliquiæ sanctorum ab Ecclesia approbatorum; Cong. rit. die 13 sept. 1503: non legitur autem eas pro altarium consecratione iisdem munitas esse oportere authenticitatis characteribus qui ad publicam expositionem requiruntur; sufficit ut episcopus iudicet eas esse veras.

11^o Non licet falsas reliquias ad venerationem exponere: esset peccatum gravis deceptionis, et etiam superstitionis, propter cultum qui eis indebite redderetur; nec ossa sanctorum radere, ut rasura cum potu detur infir-

mis, ex decisione Cong. episc. et regul. diei 17 decembris 1691; nec reliquias, præsertim insignes, ad ægrotos deferre, ex concil. Mediol. V; nec eas etiam authenticas exponere in altari in quo sanctissimum Sacramentum exponitur, ex instructione de mandato Clementis XI, die 20 januarii 1725 edita; nec eas in tabernaculo ubi sanctissimum asservatur Sacramentum deponere et retinere, ex responsione Cong. rit. diei 22 februarii 1593; nec eas exponere super tabernaculum sacram Eucharistiam continens, vel ad eam continendam destinatum, ex decisione S. R. Cong. 3 april. 1821; nec, ut videtur, ante hujusmodi tabernaculum.

Qui plura de sacris reliquiis scire voluerit, adeat Instructionem nostram gallicam cui titulus: *Instruction et Ordonnance touchant les reliques de la vraie Croix et des Saints*, in qua totam hanc materiam fuse et multis citatis auctoritatibus tractamus.

§ IV. — De variis titulis sub quibus sancti et eorum reliquiæ honorari possint.

1^o Sancti in cœlo regnantes et ab Ecclesia honorati in varios dividuntur ordines seu classes: numerantur videlicet, in ritu Romano, Apostoli, martyres, confessores pontifices, confessores non pontifices, virgines et non virgines; adduntur lectiones ac responsoria pro doctoribus qui sunt confessores pontifices vel non pontifices.

In ritu autem Parisiensi, Cenomanensi et in aliis distinguuntur Apostoli et Evangelistæ, martyres, doctores, pontifices, presbyteri, abbates et monachi, justi, virgines et sanctæ mulieres.

Præterduodecim Apostolos a Christo electos, tres alii in Actibus Apostol. recensentur, nempe S. Mathias loco Judæ proditoris suffectus, B. Paulus et S. Barnabas instinctu Spiritus sancti ad apostolatam vocati. Hi omnes, Juda excepto, in universa Ecclesia sub ritu Apostolorum honorantur, quia electi et cooptati fuerunt ut Evangelium mundo universo annuntiarent. Nullus alius talem habuit

missionem, nec sub eodem titulo absolute honorari potest. Attamen non repugnat aliquem cognominari apostolum talis gentis aut talis provinciæ quam ab infidelitate convertit ad Christum, et in ea regione honorari sub titulo apostoli, sive ex usu immemorabili, ut patet exemplo B. Martialis Lemovicensis, cui, post multas disputationes, titulus apostoli fuit adscriptus in undecimo sæculo; vel ex summi Pontificis concessione, ut docet *Bened. XIV*, l. 4, 2^a part., cap. 11, n. 3. Necessitas hujus concessionis de novi usus inductione intelligenda est; nam ecclesiæ quæ, ex antiquo usu, aliquem venerantur ut proprium apostolum, hunc morem titulo possessionis retinere possunt. *Ibid.*, n. 7. Extra ritum Ecclesiæ et officium celebrandum, v. g., in sermonibus, in martyrologio, in libris asceticis, ii promiscue nomine apostolorum decorantur, qui populos infideles vel hæreticos Christi doctrina, suis prædicationibus, imbuerunt.

Doctorum mentio habetur in Ep. B. Pauli ad Ephes. IV, 11; in Act. Apost. XIII, 1, et in libris SS. Patrum: ad constituendum autem Ecclesiæ doctorem tria requiruntur, scilicet eminens scientia, insignis vitæ sanctitas et summi Pontificis aut concilii generalis declaratio. *Bonifacius VIII*, in Sexto, l. 3, tit. 22, cap. unico, quatuor numerat insignes Ecclesiæ doctores, nempe S. Gregorium Magnum, S. Aug., S. Ambrosium et S. Hieronymum; his additi sunt S. Thomas de Aquino a S. Pio V, et S. Bonaventura a Sixto V. *Bened. XIV*, l. 4, part. 2, cap. 12, n. 9, tenet, 1^o «individuum præcessisse concessionem tituli doctoris » concessionem officii et missæ sub eodem titulo in universa » Ecclesia quoad sanctos tantum Gregorium, Ambrosium, » Augustinum, Hieronymum, Thomam de Aquino et Bonaventuram; 2^o alios in universa Ecclesia eundem » habere titulum, quamvis nulla præcesserit formalis declaratio admissionis ipsorum inter Ecclesiæ doctores, » qui sunt sancti Joannes Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, Anselmus, Isidorus et Petrus Chrysologus; » 3^o nonnullos alios in universa Ecclesia, nulla quoque prævia formali declaratione, quemdam obtinere cultum sub

titulo doctoris, sed sine antiphona *O doctor optime*, et tantum vel cum evangelio et oratione, uti est S. Hilarius, vel cum antiphona tantum, ut sunt SS. Athanasius et Basilius, 4^o aliquem ex prædictis et alios nonnullos integrum habere officium doctoris in particularibus ecclesiis, ut S. Hilarium in ecclesia Pictaviensi, Parisiensi, etc., Venerabilem Bedam apud Benedictinos et Cistercienses; 5^o Congreg. rit. titulum doctoris aliquando concessisse pro officiis recitandis, in aliquibus diocesis in honorem aliquorum sanctorum, habita ratione eximie eorum scientiæ, insignis sanctitatis, et immemorabilis cultus in his locis sub titulo doctoris, cum tacita sedis Apostolicæ permissione. *Ibidem* ait dolendum sibi videri quod usque adhuc cogitatum non fuerit de sancto Bernardo, tot meritis eximio, cœlestique doctrina referto, sub titulo doctoris in universa Ecclesia colendo. Pius VIII, anno 1829, eum per speciale decretum, ad hanc elevavit dignitatem, ac constituit ut omnes per totam Ecclesiam illum sub titulo doctoris colerent. Leo XII idem fecerat anno præcedenti, nempe 1828, pro S. Petro Damiano.

Qui sint martyres, qui confessores, jam supra diximus. Disputatur an bonus Lator, cujus sanctitas non est dubia, sit martyr; sed pars negativa sola tenenda est, siquidem non passus est ob Christum, quem ante mortem feliciter confessus est.

Ecclesia solas feminas sanctas et immaculatas sub ritu et titulo virginum colit; non viros, etsi virginitatem etiam cum majori merito servaverint, quia hi sub pluribus aliis titulis honorari possunt: in Ecclesia vero triumphante communem fore mulieribus ac viris aureolam virginitatis docent auctores post S. Thomam, his Apocalypsis verbis innixi, cap. XIV, 4: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit.*

« Pro concessione officii et missæ sub ritu virginum non » interponit Ecclesia iudicium definitivum quoad qualitatem seu statum et classem personarum; sed satis ei est » si apta adsint fundamenta quæ faveant virginitati. » Sunt

verba *Bened. XIV*, l. 4, 2^a part., cap. 12. Unde sub titulo virginum coluntur etiam mulieres quæ matrimonio junctæ sunt, quando sufficientibus testimoniis asseritur eas in matrimonio virgines remansisse.

2^o Memoria alicujus sancti aut ejus festum ordinarie anniversaria die obitus ejus celebratur, et hæc dies vocatur natalis, quia in illa sanctus pro vita gloriæ natus est. Fundamentum officium et missam pro universali Ecclesia concedendi suppeditant etiam inventiones arcarum reliquiarum, insignes eventus, apparitiones, specialia charismata sanctis a Deo concessa, peculiare circumstantiæ; apud Græcos eundem titulum habet res memorabilis, ut concilii generalis celebratio.

Notandum autem non esse locum concessionis officii et missæ pro universali Ecclesia in honorem sanctorum quorum nomina in Martyrologio Romano non sunt descripta. *Bened. XIV*, l. 4, 2^a part., cap. 6, n. 14. Excipiuntur sancti post ultimam Martyrologii editionem solemniter canonizati, ut supponit decretum S. R. Cong. 10 januarii 1631.

3^o Fundamenta concessionis officii et missæ, pro ecclesiis particularibus, in honorem sanctorum, beatorum aut canonizatorum, sunt reliquiarum illorum inventio vel translatio etiam in aliam capellam intra eandem Ecclesiam, insignia beneficia eorum intercessione ob-
tenta, etc.

4^o Ad hoc ut officium et missa celebrari vel recitari possint occasione alicujus sancti reliquiæ, requiritur: 1^o ut sanctus sit canonizatus formaliter vel æquipollenter; 2^o ut descriptus sit in Martyrologio Romano, sicut modo diximus; 3^o ut sit nominis proprii (S. R. C. 30 julii 1689 et 14 martii 1693); 4^o ut reliquia sit stricte insignis, ita ut notabilis non sufficeret (23 nov. 1602). Una ex his conditionibus deficiente, officium in honorem hujus reliquiæ fieri non potest, nisi ex speciali sanctæ Sedis concessionem. Iis vero existentibus, episcopus concedere potest ut officium celebretur singulis annis die determinato. Non sufficit quod episcopus reliquiam agnoverit eamque venera-

tionem fidelium exponi permiserit: speciale exigitur decretum episcopale officium permittens.

Hoc officium est simpliciter duplex, correspondens duplici nostro minori. In eo, juxta *Romsée*, dicitur *Gloria* et *Credo*. Non habet octavam, seclusa speciali concessionem. (S. R. Cong. 12 aug. 1613.)

Concessio hujus officii est tantum pro ecclesia sacram reliquiam possidente (12 martii 1618 et 20 nov. 1677). Tunc clerici ad recitationem Breviarii obligati hoc officium recitando satisfaciunt, si ecclesiæ reliquiam possidenti additi sint; secus, non (20 nov. 1677). Dies ad celebrandum officium in honorem alicujus reliquiæ insignis concessum non debet esse dominica (S. R. Cong. 3 junii 1662). Si in honorem ejusdem sancti jam fiat unum officium duplex, aliud duplex institui non potest ratione reliquiæ (15 febr. 1659).

ARTICULUS TERTIUS.

DE PRÆCIPUORUM ECCLESIE FESTORUM NUMERO ET INSTITUTIONE.

In tres classes naturaliter dividuntur festa ab Ecclesia instituta et celebrata; alia quippe habent pro objecto Deum aut Christum, alia beatissimam virginem Mariam, et alia cæteros sanctos.

§ I. — De præcipuis Festis in honorem Dei et Domini nostri Jesu Christi institutis.

1^o *Dominica*, sabbato veteris Legis substituta, de qua sufficienter diximus agendo de tertio Decalogi præcepto.

2^o *Adventus*. Annus ecclesiasticus a prima dominica Adventus incipit: Adventus vero, sic dictus quia præcedit adventum Domini nostri Jesu Christi in mundum, id est Nativitatem ejus, initium habet die dominica quæ festo S. Andreae proxima est, ac proinde a die 27 novembris ad 3 decembris: quatuor semper complectitur dominicas. *Benedicti XIV*, Inst. 11, n. 7, affirmat ejus institutionem

ad sæculum sextum referendam esse, et S. Gregorio Magno adscribendam. In Sacramentario S. Gregorii quatuor dominici dies Adventus nominantur, quibus deinde in aliquibus locis quintus et sextus accesserunt, ut in ritu Mozarabico, in ritu Ambrosiano, et in pluribus religiosis ordinibus: tunc Adventus incipit dominica post festum S. Martini, et olim dicebatur Quadragesima S. Martini; per plura sæcula abstinentia a carnibus erat præscripta, et jejunium in usu generali erat usque ad duodecimum sæculum, modo ad devotionem, modo ex præcepto, sicque adhuc viget apud Græcos.

Nunc in tota Ecclesia Latina, exceptis quibusdam religiosis ordinibus, obligatio abstinentiæ et jejunii cessavit, etiam in Mediolanensi ecclesia, quæ tamen suum ritum incipiendi Adventum dominica post festum S. Martini retinuit. *Gloria in excelsis* et *Te Deum* supprimuntur in missa et officio de tempore, et adhibetur color violaceus.

3^o *Nativitas Domini*. S. Aug., Epist. 55, de more hoc festum die determinato celebrandi ut recepto et antiquo loquitur. S. Chrysost., Sermone de Christi Nativ. 33, ita Romanos ex antiqua traditione hanc sanctam Nativitatem die 25 decembris celebrare, et illius notitiam ad Græcos transmississe. Benedictus XIV ostendit hanc festivitatem ex antiquissima traditione in Occidentali ecclesia die 25 decembris jam celebratam, in quarto sæculo transiisse ad Græcos, qui huc usque illius memoriam faciebant die Epiphaniæ. Romani facile potuerunt cognoscere, ex publicis commentariis quibus recensio sub Augusto facta continebatur, quo præcise die natus esset Salvator mundi, ut optime notat S. Chrysost. Valde igitur credibile est esse diem 25 decembris.

Maxima hæc solemnitas incipit a Laudibus vigiliæ, quæ sunt de ritu duplici aut semiduplici; officium nocturnum cum solemnitate celebratur, et quilibet sacerdos habet facultatem tres dicendi missas, quod olim fieri solebat in magnis solemnitatibus, ut in Tractatu de Eucharistia notavimus; at allegatio triplicis nativitatis Christi, in sinu Patris, in utero matris et in cordibus nostris, honorandæ

motivum ternæ illius celebrationis fuisse nullo modo videtur.

4^o *Circumcisio*. In codice sacramentorum Ecclesiæ Romanæ a venerabili *Thomasio* cardinali edito, quem *Bened. XIV* S. Leoni Magno et prædecessoribus ejus tribuendum esse putat, in calendario Romano abhinc nongentis annis et amplius scripto, et in corpore juris canonici, nempe in Decreto, 3^a part., dist. 3, can. 1, hoc festum appellatur Octava Nativitatis Domini; sed, cum ex Evangelio constet eum die octavo fuisse circumcisum, erat simul festum Circumcisionis. Unde in Martyrologio Romano sic annuntiatur: *Circumcisio D. N. J. C. et Octava Nativitatis ejusdem*; in Decretal. l. 2, tit. 91, cap 5, simpliciter dicitur *Circumcisio*. *Bened. XIV* æstimat et probat hoc festum ante finem quarti sæculi fuisse institutum. Et quoniam eodem die gentiles festum profanum et valde turpe jam et strenice dicabant, viri mulieribus et feminæ virilibus personis susceptis, comessiones et aleas agitant, velut insani currebant, fideles ad ecclesias convocabantur, et jejunium cum oratione miscentes, ante nonam nihil comedebant.

5^o *Epiphania*, græce *Θεοφάνεια*, id est, Dei manifestatio. Tres manifestationes Christi in eo die simul honorantur, videlicet manifestatio Magis, et, in eorum personis, gentibus; manifestatio Judæis, cum, eo suscipiente baptismum a Joanne, vox de cælo dixit: *Hic est Filius meus dilectus, ipsam audite*; et manifestatio divinitatis ejus discipulis in Cana Galiliæ, quando aquam mutavit in vinum. Certum est hanc festivitatem semper fuisse celebrem in utraque ecclesia, Orientali scilicet et Occidentali, ac ipsius institutionem ad Apostolos, juxta quosdam, et saltem ad tertium sæculum ascendere. In ea, post evangelium, solemniter annuntiatur populo quo die hoc anno celebrandum sit Pascha Domini.

Apud nos Baptisma Domini simul cum octava Epiphaniæ celebratur die 13 januarii.

6^o *Festum sanctissimi Nominis Jesu*. Mos erat apud Judæos nomen imponendi puero in ipsamet circumcisionis

solemnitate, octavo die, ut patet exemplo Joannis Baptistæ, de quo legitur, Luc. 1, 59 : *Et factum est in die octavo, venerunt circumci dere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam, etc.*; et cap. 11, 21, de Christo habetur : *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus.* Sanctissimum illud nomen ab Angelo prænuntiatum, qualitatem Salvatoris exprimit; omnibus est venerabile, et in illo omne genu flectitur, *cælestium, terrestrium et infernorum*, Philip. 11, 10. S. Bernardinus Senensis, anno 1444 mortuus, zelo pro conversione peccatorum flagrans, et pœnitentiam in Italia prædicans, ut compunctionem cordium excitaret instituit ut, sacra concione habita, oculis auditorum exponeretur tabella in qua radiatum nomen Jesu depictum erat. Quidam hujusmodi cultui restiterunt, alii illud approbaverunt. Postea sedes Apostolica illum approbavit eum officio pro tota S. Francisci familia, ad quam S. Bernardinus Senensis pertinebat, et anno 1721, die 29 nov. pro universali Ecclesia, et statuit hoc festum dominica secunda post Epiphaniam celebrandum fore : huc usque in ecclesia Cenomanensi omittitur.

7° *Quadragesima*, quæ est traditionis Apostolorum, et tanquam præparatio ad magnum Paschatis festum fuit instituta. De illa fusius agemus ubi de jejuniis. Tres eam præcedunt dominicæ, Septuagesima, Sexagesima et Quinquagesima, in quibus Ecclesia fideles ad pœnitentiam præparare intendit, bacchanalibus tunc crassantibus opponens signa tristitiæ in suis vestibus et ornamentis, in cantibus et cæremoniis, et in officiis suis ad memoriam revocans quæ Deus contra Adamum peccatorem, contra terræ incolas tempore Noe, et contra Sodomitæ gessit.

8° *Dominica Palmarum*. Constat, ex S. Joanne, XII, 6, Jesum venisse Bethaniam *ante sex dies Paschæ*, id est, die sabbati in quo ramos cædere non licebat : in crastino die, dominicæ nostræ respondentis, venit Hierosolymam, et turba multa *accepert ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel.*

In memoriam triumphalis hujus Christi ingressus in Jerusalem solemnitas instituta est processio quæ in usu est saltem a quinto sæculo in ecclesia Orientali, et ab octavo in Occidentali, juxta *Græcolas* : in ea deferuntur palmæ quas celebrans benedicit et distribuit clericis, nobilibus et magistratibus, qui a digniore ad ultimum successive veniunt, duo genua coram celebranti flectunt, palmas ab eo accipiunt, manum ejus et ipsam palmam in una parte deosculantes. Mulieres, si veniant, palmam tantum deosculantur. Hic ritus Romanus Cenomani non servatur, sed palmæ a celebrante vel ab episcopo, si sit præsens, benedicuntur, et postea clericis et quibusdam tantum laicis in choro assistentibus per nonnullos clericos distribuuntur. Cæteri fideles eas tenent manibus benedicendas.

Hymnus *Gloria, laus et honor, etc.*, qui in dicta processione canitur, et initium carminum a *Theodulpho*, Aurelianensi episcopo, in nono sæculo compositorum, ut a pueris in die Palmarum canerentur, reperiuntur inter multa ejusdem auctoris carmina, lib. 2, § 3, in Bibliotheca Patrum, t. 14, p. 37. Fertur *Theodulphum* ab imperatore Ludovico Pio Andegavis in carcere detentum, hunc hymnum a se compositum cecinisse dum imperator in die Palmarum processioni assistens, prope carcerem transiret, et idcirco veniam ab illo obtinuisse. Vide *Bened. XIV*, de Dominica Palmarum, n. 18.

A dominica Palmarum ad dominicam in Albis quodlibet officium occurrens, post quindenam paschalem transfertur in diem festo duplici aut semiduplici non impeditum : si esset festum in populo, juxta ritum Romanum, solum transferretur officium, remanente obligatione abstinendi ab operibus servilibus, et missam audiendi, excepto Parasceve in quo non est obligatio audiendi missam quæ celebrari non potest, nec assistendi officio hac die celebrato, quia non est proprie missa, nec per se de præcepto ; in eo casu indulgentia in feriam secundam post dominicam in Albis transfertur cum officio et feriatione, quia hæc feria tali anno censetur dies propria festi et habet privilegium quodvis officium translatum et omnia officia in dictam feriam

occurrentia removendi, modo non sint altioris gradus. In cæteris diebus in quibus remanet obligatio feriandi, indulgentia cum solo officio non transfertur, ut S. Cong. rit. declaravit 2 Julii 1614, et tenent omnes auctores.

9^o *Officium tenebrarum*. Hoc officium recitatur vel cantatur quando sol tres partes diurni cursus absolvit, et non ante: dicitur *tenebræ*, quia olim in medio tenebrarum noctis habebatur, vel quia nunc sub vespera absolvitur. Incipit absolute, sine *Domine, labia mea aperies; Deus in adjutorium, Gloria Patri, Invitatorio*, etc.; et hæc forma quæ ex antiquo more officium nocturnum recitandi fuit conservata, ad plangendam Christi passionem et mortem maxime convenit. Quindecim in triangulari candelabro ponuntur cerei flavi coloris, quorum unus post finem cujuslibet psalmi exstinguitur, ad significandum discipulos Christi unum post alium magistrum suum dereliquisse. Ultimus ad canticum *Benedictus* post altare defertur, absconditur, et, finito officio, exstinguitur. Completa oratione *Respice, quæsumus*, fit fragor et strepitus aliquantulum, et populus discedit. Superior manu percutit librum aut scabellum, et omnes clerici idem faciunt; non vero laici. Hic fragor spiritualiter significat commotionem naturæ in morte Christi. Apud nos solus superior vel chori præses fragorem facit.

10^o *Feria quinta in cæna Domini*. Hæc feria omni tempore fuit celebris; in ea enim 1^o penitentes publici olim ante missam solemniter reconciliabantur ab episcopo; 2^o imperatores Christiani, exemplo Ecclesiæ ducti, indulgentiam concedentes captivis, eos solvebant a vinculis; 3^o celebratur institutio sanctissimæ Eucharistiæ: in pluribus ecclesiis unus celebrat et omnes sacerdotes sacram synaxim de manu ejus suscipiunt; in aliis, ut apud nos, singuli celebrant; 4^o fit sollemnis consecratio S. chrismatis, olei catechumenorum et olei infirmorum; 5^o sanctissimum Sacramentum processionaliter defertur ad locum ubi usque ad posteram diem asservatur; 6^o lavantur in cathedralibus et in aliis quibusdam ecclesiis pedes duodecim pauperum (in Ecclesia Romana tredecim, quod sat difficile

explicat *Bened. XIV*), ad exemplum Christi qui humilitatis causa lavit pedes discipulorum eisque mandavit ut idem facerent; 7^o denudantur altaria, ad significandum Christum per lapidem altaris representatum, in cruce fuisse nudum; 8^o sonus campanarum, dicto hymno *Gloria in excelsis*, suspenditur usque ad initium ejusdem hymni in sabbato sancto, et interea fit strepitus per aliquod ligneum instrumentum, ut mos fuit faciendi in primis Ecclesiæ sæculis. Silentium campanarum mystice exprimit silentium Apostolorum, qui, relicto Christo, abierunt.

11^o *Feria sexta in Parasceve*. Parasceve apud Hæbreos idem sonat ac præparatio, et sic vocabatur dies immediate præcedens sabbatum, quia in illa parandi erant cibi in sabbato sumendi. Cum in ea die Christus passus, crucifixus et mortuus fuerit, viri Apostolici eandem passionem et mortis Christi memoriæ specialiter consecrarunt, retento nomine eo tempore et Evangeliiis usitato.

In hac die qua recolitur Christus ut mortuus, 1^o non celebratur missa proprie dicta, sed tantum missa præsanctificatorum; 2^o cantatur vel recitatur Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Joannem; 3^o pro diversis ordinibus Ecclesiæ, et etiam pro iis qui non sunt de Ecclesia, ut sunt schismatici, hæretici, Judæi, pagani, specialiter oratur, ad expressius significandum Christum pro omnibus mortuum esse: ante crationem pro Judæis omittitur *Oremus et Flectamus genua*, quia, ait Alcuinus, auctor noni sæculi, Judæi flexis genibus illuserunt Christo; 4^o sollemnis adoratio crucis fit sequenti modo: crux, cum imagine Christi in ea affixi, super pulvinum violacei coloris in ritu Romano, coloris rubri in ritu nostro, deponitur; celebrans depositis calceamentis, manibus junctis et demissis oculis in certa a cruce distantia se constituit, duobus genibus flexis et inclinato capite, crucem adorat, mente vel ore secreto dicens: *Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum*; surgit, incedit, et in medio loco, inter primam adorationem et crucem, idem facit, deinde tertio ante ipsam crucem quam postea deosculatur, non in faciem Christi, nec in manus,

nec in latus, sed, ex reverentia, in solos pedes. Accedunt deinde diaconus et subdiaconus, et sic ordinate, ut dum celebrans secundam facit adorationem, diaconus faciat primam, et dum facit tertiam, diaconus faciat secundam et subdiaconus primam. Postea veniunt clerici, incipiendo a dignioribus, et laici idem facientes: si præsens esset episcopus, primus post celebrantem accederet. Ubi major est numerus fidelium ut omnes tres faciant adorationes sicut clerici, digniores tantum et in choro assistentes hunc sequuntur modum, cæteris præbetur crux quam successive deosculantur genuflexi. In ritu nostro non deponuntur calceamenta.

Plures parochi arbitrati sunt se hac die reliquias veræ Crucis loco crucis ordinariæ fidelibus præbere posse adorandas. Errabant, nam ibique in liturgia fit adoratio crucifixi, id est imaginis Christi cruci affixi.

12^o *Sabbatum sanctum*. Sabbatum judaicum in festa Paschalia incidens magnum valde dicebatur; hoc sabbatum semper fuit celebre apud Christianos tanquam præparatio ad maximam festivitatem Paschæ, et dictum est sanctum. In eo die 1^o catechumeni olim baptizabantur; 2^o non dicebatur missa, ne quidem præsanctificatorum: officium incipiebat ad vesperam; protrahebatur in noctem dominicæ, ita ut missa versus diem nascentem celebraretur. Paulatim tempus hujus officii fuit anticipatum, donec sabbato mane cum missa fuerit celebratum; et ideo adhuc dicitur in præconio *O beata nox*, in præfatione *in hac potissimum nocte*, in canone *noctem sacratissimam*. 3^o Novus benedicitur ignis qui ope instrumenti e silice eruitur: die præcedenti cuncta fuerunt extincta luminaria ecclesiæ, in signum mortis Christi luminis mundi; e lapide, qui est figura Christi, novus educitur, profertur et benedicitur ignis, ex quo accendendus est cereus paschalis, ad significandum Christum esse resurrecturum et habere in se principium luminis et vitæ. 4^o Benedicitur solemniter cereus paschalis, qui totus debet esse ex cera, pondere cereis communibus major, et sat altus ut in cunctis officiis publicis usque ad Ascensionem accendi possit. In basilica

Lateranensi octoginta est librarum; quidam volunt eum esse debere saltem decem vel octo librarum: id quidem optimum est, sed tantum in plerisque ecclesiis minoris est ponderis, ex usu recepto. Repræsentat Christum ex mortuis suscitatum, lumen mundi, et ideo quinque grana incensi in eo figuntur ad significandas quinque illius plagas. Diaconus magnificum cantat præconium, quod quidam *S. Aug.*, alii *S. Leoni* tribuerunt, sed cujus auctor remansit ignotus; cum autem diaconus non sit alicujus benedictionis ecclesiasticæ minister, dicendum est cereum paschalem quem laudat et exultat, ab illo præcise non benedici, et benedictionem ipsi communicari per ascensionem luminis et insertionem granorum incensi a sacerdote celebrante benedictorum. 5^o Fit benedictio solennis aquæ Baptismatis, et si sint catechumeni baptizandi, statim baptizantur: cantantur litanie, quas celebrans et ministri, juxta rubricam, prostrati, recitare non tenentur.

13^o *Pascha* seu *Resurrectio Christi*. Hoc maximum festum appellatur in Martyrologio *solemnitas solemnitatum*: est institutionis Apostolicæ, et præ cæteris Ecclesiæ solemnitatibus gaudium et lætitiâ excitat, fidem corroborat et æternæ jubilationis pignus ineffabile nobis præstat; quia si Christus, factus nobis similis, a mortuis suscitatus, in gloriam intraverit, et nos debemus in fine sæculorum resurgere et cum illo in æterna gloria regnare.

In hujus diei officio, quod antiquam redolet simplicitatem, omissione hymni, capitulorum et responsoriorum brevium, continuo resonat lætissimum verbum *Alleluia*, quod per vicos Jerusalem cœlestis æternaliter cantabitur, Tob. XIII, 22, et in fine cujuslibet horæ ponitur hæc festivissima antiphona: *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea*. Tres tantum dicuntur lectiones per octavam, in ritu Romano, et per totum tempus paschale, in Parisiensi, Cenomanensi atque aliis ritibus. In vesperis fit apud nos processio ad fontes, in qua cantantur psalmi *Laudate pueri* et *In exitu*, ad significandum recenter baptizatos transisse quasi per mare Rubrum et de Ægypto seu de captivitate dæmonis exiisse: in ritu Romano hæc

cæremonia olim usitata omittitur, et Vesperæ in choro absolvuntur more solito.

Dominica sequens vocatur *in Albis*, seu potius post albas, quia vestes albæ, quibus neobaptizati Sabbato sancto induebantur, sabbato sequenti deponebantur.

Tempus paschale est octava hebdomadarum et terminatur vigilia sanctissimæ Trinitatis.

14^o *Ascensio Domini*. Quadragesimo die a Resurrectione hoc celebratur festum, quod ideo in Constitutionibus Apostolicis, l. 8, cap. 3, dicitur dies Assumptionis Domini, et a *S. Aug.*, Sermon. 271, *dies quadragesimus Ascensionis Domini* nominatur. Idem *S. Doctor* dicit, Epist. 54: « Illa autem quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ » quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel « ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est » in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque » statuta retineri, sicuti quod Domini passio et resurrectio » et ascensio in cælum, et adventus de cælo Spiritus sancti » anniversaria solemnitate celebrantur, et si quid aliud » tale occurrit quod servatur ab universa, quacumque se » diffundit, Ecclesia. » Magnæ ergo illæ festivitates ab universa servabantur Ecclesia tempore *S. Aug.*, sicut tempore nostro, et velut ex Apostolica traditione descendentes habebantur.

Hæc festivitas octavam non habebat tempore Rodulphi de Rivo, Tongrensis decani, qui de officio divino anno 1390 scribebat; sed mox habuit, et duo dies inter hanc octavam et Pentecosten intercedentes, velut continuatio octavæ habentur, ac ritu semiduplici celebrantur. In loco evangelii istius festi, ubi legitur: *Assumptus est in cælum*, cereus paschalis exstinguitur ac aufertur, ex decreto *S. Pii V.*, sicque ascensio Christi exprimitur.

Vigilia Pentecostes semper eodem ritu servata est ac vigilia Paschæ, excepta cerei paschalis benedictione.

Ex *Tertulliano* dicente, lib. de Corona, cap. 3: *Eadem immunitate (jejunandi) a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus*, atque ex pluribus aliis primis Patribus, constat primitus nullum exstitisse jejunium ob temporis paschalis

lætitiæ, inter Pascham et Pentecosten; sed quoniam mos prævaluit jejunare, saltem ex devotione, feriis Rogationum seu supplicationum, quæ a *Mamerto*, Viennensi episcopo, versus 469 fuerunt institutæ ad iram Dei placandam, similiter contigit ut vigilia Pentecostes etiam jejunaretur: at jejunium Rogationum obsolevit, sola retenta a carnibus abstinentia, dum jejunium vigiliæ Pentecostes fere ubique factum est de præcepto. Episcopi provinciæ Turo-nensis, in mandato communi a nobis jam citato, diei 8 maii 1780, illud cum pluribus aliis pro suis respectivis diocesis suppresserunt.

15^o *Pentecostes*. Die quinquagesimo post egressum de *Egypto*, Lex vetus promulgata est in monte Sinai, per ministerium Moysis, et memoria hujus diei fuit celebris apud Judæos: similiter quinquagesimo die post resurrectionem Christi, Lex nova seu Evangelica fuit sua vice promulgata per admirabilem Spiritus sancti effusionem in omnes Apostolos, et per sensibiles effectus inde sequentes. Concordia tam perfecta casui fortuito tribui non potest: unde dies Pentecostes, seu quinquagesimus, semper fuit sollemnis in Ecclesia, et eundem habet ritum ac ipsa Pascha.

16^o *Festum sanctissimæ Trinitatis*. In *Decretal.*, l. 2, tit. 9, cap. 2, refertur constitutio Alexandro III tributa, quam *Bened. XIV* affirmat esse Alexandri II, anno 1061 ad dignitatem pontificiam everti: ille Pontifex testatur varias tunc exstitisse consuetudines circa celebrationem festi sanctissimæ Trinitatis, secundum diversitatem regionum; a quibusdam in octavis Pentecostes celebrari, ab aliis dominica prima ante Adventum, et Ecclesiam Romanam usum non habere speciale festum sanctissimæ Trinitati consecrandi, cum ei quotidie dicatur: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*. Hæc glorificatio, in fine psalmorum, in pausionibus psalmorum longiorum, in fine responsorum et etiam hymnorum, verbis tantum mutatis, recitari aut cantari solita, a quibusdam magno concilio Nicæno tribuitur, ab aliis habetur ut anterior, et tantum additio *Sicut erat in principio*, etc., ad hoc concilium refertur; alii tandem judicant eam ab Orientali Ecclesia in